



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Dn. Conradi Clingii Theologi Et Ecclesiastae Celeberrimi
(dum vixit) apud Erphordiam Turingiæ, Catechismus
Catholicus, summam Christianæ institutionis III. libris
succinctim complectens**

Klinge, Konrad

Coloniae, 1570

VD16 K 1309

2. Qui sint certi, quòd sint de numero praedestinatorum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-29452



Reſtinationis eſt diuina electio, qua Deus eligit quos vult ad ſalutem ante mundi conſtitutionē, Eph. 1. Cuius cauſa eſt gratuita illius promiſſio, non lex ipſa aut noſtra actio, ſed gratuita eius miſericordia eſt cauſa electionis, Ro 9 Non eſt currentis neq; volentis, ſed miſerentis Dei & Rom. 8. Quos prædeſtinauit, hos & vocauit. Cauſa igitur diuine electionis eſt Dei miſericordia, voluntas & beneplacitum.

2. Si Dei miſericordia eſt cauſa electionis, & ipſa cauſa non eſt in homine, cur non omnes eliguntur? Reſpondeo: cauſa reprobationis eſt bene in homine, quia nos non ſuſcipimus promiſſionem ſalutis propter Chriſtum, non omnes obediunt Euangelio & fidei, Romanorum decimo. Promiſſio enim ſalutis, vniuerſalis eſt: ab hac nemo excluditur. Matthæi vndecimo Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati eſtis, & ego reſciam vos. & 1. Timoth ſecundo. Deus vult omnes homines ſaluos fieri. Et Ioan. 3. Sic Deus dilexit mundum, vt filium ſuum vnigenitum daret: vt omnis qui credit in illum, & c. Vbiq; Euangelium & ſcriptura exprimunt vniuerſalem promiſſionem ſalutis, & neminem excludunt. Rom. 3. Non eſt diſtinctio Græci, & Iudæi, omnes qui credunt in illum, & c. Euangelium de Chriſto, ad omnes pertinet, & Deus vult omnes ſaluos fieri. Ideo quod non omnes ſaluantur, cauſa non eſt in Deo, ſed in nobis: quia non credimus Euangelio & promiſſioni ſalutis, ipſe enim vult omnes ſaluos fieri. Nemo igitur hic facere debet particularem promiſſionem, & dubitare, num ſit de numero ſaluandorum ac prædeſtinatorum. Nam promiſſio ſalutis, vniuerſalis eſt, Venite ad me omnes. Deinde, quod, eſſe de numero ſaluandorum ſeu electorum, non eſt propter noſtram dignitatem, ſed quia promiſſionem accepit

1. Tim. 2.

Math. 11.